

B. 191.

Index opusculorum hoc volumine  
comprehensorum

- 1) Holleri animadversiones in scriptores aliquot historiae literariae recentioris  
historico-criticae
- 2) I. H. a Seelen de Cimbrorum in republ. Lubec. et Cimbrorum Lubecen  
rum in Cimbriam mentis.
- 3) Eysd. Symmicta librar. j. librorum ratiom. Index I.
- 3) X Eysd. Index II.
- 4) 5) I. H. Lückmanni de codice Hafniensi Adami Brem. dissertation
- 5) 6) Mich. Richey Polymathemones sive memoriae divinioris exempla
- 5) 7) Eysd. Continuatio
- 5) 8) Eysd. Continuatio altera
- 5) 9) Eysd. Continuatio tertia
- 6) 10) Mich. Richey de Gallorum quorundam de Germanorum ingenio iudicis
- 7) 11) Ios. Burch. Menker de commentarij, quo Galii memoriae vocant
- 8) 12) I. G. Böhmii de Vite Bevingii historia obfitionis Hafniensi Anekdota literaria
- 9) 13) Christ. Gott. Buden de Frider. III Sapiente Saxoniae Electore Historiarum Patrono  
et propagatore
- 10) 14) I. G. Böhmii de studiis et doctrinae publicae historiarum in Academia Lipsica  
obs. oratio
- 11) 15) Frid. Boemen de vera Medicinae origine diatriba.
- 12) 16) Iustini Schnegels commentatio de Aeneae Silvri in Romanas literas mentis.
- 13) 17) I. H. Fessli de Africi Pothionis Bibliotheca Romae publicata oratio
- 14) 18) C. W. Schneideri commentatio de antiquis libellos Mirabiliora Romae inscripta
- 15) 19) Ic. Ad. Emmerich de antiquitatibus Ojenium literariorum
- 16) 20) Recensio boeni postmodni Chronicis gotthicensis
- 17) 21) Viridiciale Harzburgianae
- 18) 22) Ic. Ad. Hartmanni Pauegynius Ic. Frider. Lib. Bar. de Stein dicti

- 19) 23) Memoria Ios. Mattha. Gypneri auctore Ios. Chrl. Richardo  
20) 24) Eloquium Tob. Mayen auctore A. G. Kästnero  
21) 25) Eloquium Jo. Ge. Roedereri auctore eodem  
22) 26) Memoria Frd. Nofii Mathem. Prof. Kilon.  
23) 27) C. A. Hennanni Supplementa hist. oice literariorae Gottingen pro.  
24) 28) Jo. Frd. Rehkopf de Lwicensi enibus literariorum orientalium studiolarum  
25) 29) Memoria Henr. Elbh. Schröderi auct. I. M. Gypner.  
26) 30) De vita et morib. a Scelen  
27) Henr. Brocker De Lubecensium patriis extra patriam.  
28) Balth. Hunter Lubecensium apud exteris doctorum Secar T.  
29) Jo. Henr. ex Scelen Lubeca orientulus.  
30) " De Lubecensibus doctorum Theologiae dignitate conspicuis.  
31) El. Mascon De magnificentia consulari in republica Lubeca.

xxix  
59<sup>7</sup>

POLYMNEMONES  
SIVE  
**MEMORIAE**  
**DIVINIORIS**

EXEMPLORVM PLVS CENTVM

EX VARIA  
PRAESERTIM ERVDITORVM HISTORIA  
DEPROMTORVM

**CONTINVATIO**

QVA  
ANNIVERSARIVM GYMNASII STADENSIS SACRVM  
IN HONOREM REGIS

**ORATIONE PVBLICA**  
**DE IIS QVAE INCAROLO XII**  
**DIVINIORA SVNT**


A D V KAL FEBR HL QC CELEBRANDVM  
OFFICIOSISSIME INDICIT

**MICHAEL RICHEY**  
RECTOR

---

STADAË OPERIS HOLVVEINIANIS  
A CIO ID CC VII





**D**iuinioris memoriae exempla, quanto fieri potuit, studio conquisita, & iucundis ex varia lectione flosculis consperfa, superiori anno in lucem proferre coopi, ac vobis, Fautores litterarum, strenam destinavi. Quod meum munusculum, licet integrum ac perfectum dare, nec otium tunc permitteret, nec chartae praefitiae angustia omnem exemplorum multitudinem caperet; haud tamen metuebam, ne in aere vetro consenserem, aut persoluendi occasionem frustra in posterum venarer. In tanta enim felicitatis Svecicæ constantia, quam virtus Regis nostri, & maxime manifestus ille Numinis praesentissimi sensus portendebant, facile diuinabat animus, fore, ut anno circumacto, quintus Calendarum Februarii auspicis non minus felicibus illucesceret, Musisque nostris gratulandi materiam preeberet. Nec spem fefellit euentus: redit quippe annuerarium Gymnafii nostri sacrum: redit diesille, ad quem in fastis CAROLI nomen adscriptum est, festus omnino ac religiosus habendus, ob Regem superstitem, incolumem, felicem. Igitur & redeunt ad partes suas ciues nostri, lectissimumque ex coetu primo iuuenem communis causae oratorem decernunt: redeo & ego ad Polymnemones meos, ac aliam eorum cohortem, velut solemnitatum nostrorum preecones nunciösque, ad vos, Patroni optimi, extrudo.

Nouum agmen ducat COSROES Persarum Tyrannus, qui omnes Aristotelis libros memoriter complexus est (1). Rarum sane exemplum,

A 2 siue

(1) Ita non Persas modo, sed & Romanorum nonnullos de Cosroe praedicasse, auctor est Agathias Lib. II. Historiarum: καὶ τὸν φασὶν, ὅτι δὲ οὐλον τὸν γαγείτων καταπλέειν, μᾶλλον ἡ ῥύπη παιανεὺς τὸν Ολόρου. h. e. Itaque dicunt, quod totum Stagiriatum (Aristotelem) imbibitur, melius quam Rhetor Paeanicus (Demosthenes) Olori (filium, Thucydidem). Ad quae verba quis non effuse rideat lepidum Chrysophori Personae ineptissimi interpretis errorem, qui τὸν γαγείτων, quod Aristotelis a patria cognomentum esse nemo ignorat transtulit *vini amphoram*, inductus forte *imbibendi* vocabulo, quod Agathias

sue rerum ab Aristotele traditarum multitudinem ac difficultatem spe-  
ctes, siue tantam in Principe sine taedio discendi patientiam. Facilius  
credo, quae de *Publio Licinio CRASSO* (2) narrat Valerius (3), eum,  
cum in Asiam ad Arisiticum Regem debellandum Consul venisset,  
iusta cura Graecar linguae notitiam animo comprehendisse, ut eam in quinque  
divisim genera. (4) per omnes partes ac numeros penitus cognosceret. Quae  
memoriae felicitas ipsi plurimum contulit ad conciliandos sociorum  
animos : nam gratissimum erat illis, cum ius dicendum esset, si non  
aliena per interpretem, sed sua quisque lingua suum ius audiret (5).  
Obstupescō autem, cum accedo ad *Jacobum CRITONIVM* (6) patria  
Scotum, in quo natura aliquid prodigio simile produxit. Is enim ado-  
lescens non ingenio tantum adeo excelluit, vt ante annum aetatis XXI  
(quo Principis Mantuani iussu interemptus est) linguas ad duodecim per-  
calleret, & deuotatis omnibus Patrum ac Poetarum scriptis, promte sci-  
enterque de quoquaque argumenti genere, siue soluta, siue ligata oratione  
differeret : sed memoriam quoque admirandam habuit, cuius spe-  
cimina dedit Venetiis A. 1581, quando paginis compluribus sibi praefectis,  
mox singula verba recensuit, & recto ordine, & conuerso (7).  
Percrebuerat tum fama dehoc iuuene per totam Italiam. Sed Scaliger,  
nescio an inuidus, iudicium in eo desiderauit, & *ingenium prodigiosum*  
dixit, *admirazione magis quam amore dignum* (8). Aldus vero *Manutius*  
(9) eum

thias Cosroem dixerat καταπίεν : cetera quoque nihil felicius expressis hunc  
in modum : addunt tamen Εὐσταχιον, id est vini amphoram longe melius  
perporasse, quam Rheticus Paeanicus olovi perscripsit fabulam. Helleborum  
huic Dormitantio ! Sane hoc paſto τὸν Στραφυλίτην potius quam Στραγε-  
ίτην amauerit Cosroes, ad Πολυπότες rectius, quam ad Πολυμένιουν  
a nobis referendus, conf. *Hadriani Iunii Animaduersi*, L. 1, c. 4. ap. *Gruter.*  
T. III. Thesaur. Crit. p. 322 sq. *Phil. Caroli Difseri*, de *Criticis* p. 19. ap. *Crenum*  
P. I. *Animadu.* p. 67. (2) Cui *Divitius* cognomentum a *Fabio Lib.* XI. Instituit,  
cap. 2. & in *Fastis Consularibus* datum inuenio. Vnde fortassis error eorum  
enatus, qui non in *Publio*, sed in *Marco Crasso* Romanorum ditissimo istam  
memoriae diuinitatem laudarunt, vt fecit *Happelius* in *Acad. Roman.* p. 672.  
(3) Exempl. memorab, L. VIII. c. VII. Seſt. I. num. 7. (4) Dialectos puta, Io-  
nicam, Doricam, Atticam, Aeolicam & communem. (5) *Olinerus* ad *Valer.*  
Max. I. c. (6) *Crinitum* vocat personatus ille *Christianus Liberius* in *Biblio-*  
*philia* p. 179. errore forsitan ex nominis conuenientia orto. (7) teste *Schotta* in  
*Phys. curios.* p. 498. (8) in *Scaligeranus* p. 107. Eius iudicio subscriptit *Battle-*  
*sus*, & *Critonium scientias superficiariæ meteoris homines felellisse ac terru-  
isse*

(9) eum honorem Critonio habuit, ut ipsi inscriberet Notas suas ad Ciceronis Paradoxa, in qua epistola raram hominis eruditionem dilaudauit. Cum praecoci hoc iuuene conuenienter coniungi potest ex veteri historia CYRVS Maior: eum enim non solum ante acetatem sapuisse, sed etiam memoria admodum valuisse, ex Xenophonte accipimus. Quamquam intemperantius Cyrum laudent alii, qui eum omnes militum suorum vultus nouisse, & nomina singulorum tenuisse scribunt (10), id quod per ipsas militiae rationes, perque tantam copiarum multitudinem & varietatem incredibile videtur.

DEMOSTHENEM cur inter exempla felicis memoriae nonnulli respondant

A 3

ponant

issē suspicatur, des Enfans celebres p. 108. Praeter hos atque *Manarium*, de monstro hoc ingenii memoriaeque videndum *Imperialis* in Museo, p. 141. Morenus in Lexico. Diversus est *Iacobus Critonius* itidem Scotus, de quo *Baylius* in Dictionar. T. I. p. 985. (9) Pauli filius, non ipse Paulus, ut erratum *Baileto* l. c. (10) Ita Latini fere omnes, *Plinius* Lib. VII. cap. 24. *Valerius Max.* Lib. VIII. cap. 7. *Quintilianus* Lib. XI. cap. 2. Causam addit *Valerius*: ut sine monitorie exercitus salutaret. Habant enim Imperatores prisci fuos nominum suggestores, quos Romani Nomenclatores vocabant, ut notatum *Olinerio* ad h. l. *Solinus* credit, Cyrus consuetudine profecisse. Polyhist. cap. I. *Ammianus* scriptores varios memorare, ait, epotis quibusdam remedis id impetrasse, Lib. XVI. cap. 5. quem locum ornat magis quam examinat *Lindenbrogius* in Notis. At vero *Xenophon* scriptor Gracus, illis temporibus proximus & rerum Cyri gnuarus nihil prodidit, quod creditu tam difficile esset, quando non milites singulos, sed Duces solos nominatum a Cyro compellatos fuisse resert: quamvis hoc satis sit, in exercitu tam numero, vid, Lib. V. *Kύρῳ πατέρῳ*. T. I. Opp. p. m. 301. edit. Oxon. 1703. 8. Addam locum ipsum ex Leunciu*luii* interpretatione: Secundum hanc ebam ad tabernacula, & inter eundum colloquebantur inter se, quantum memoria valeret Cyrus, si quid cum aliquibus esset constituendum, quo modo nominatum adpellatus suis praecepit. At Cyrus hoc studiose faciebat: cui per quam mirum videbatur, eos, qui opificia sordida profiterentur, tenere singulos instrumentorum opificis sui adpellationes: sicut Medeas & instrumentorum & medicamentorum omnium, quibus utimur, nomina nouit: imperatorem vero tam scindidum esse, ut ducum sub se (τῷ νῷ δύτον ἡγεμόνα) nomina ignoraret, quibus ei tanquam instrumentis necessario esset utendum. x. T. A. conf. pag. 298 sqq. vbi enumerantur multi, quibus a Cyro nominatum imperatum est, sed omnes Praefecti, gregarius nemo. Sufpicor itaque cum *Mureto* L. III. Var. Lect. c. I. ac *Vossio* de Nat. Rhetor. c. 20. eum, qui id primus prodidit Latinorum errore memoriae la psum fuisse. A recentioribus exemplorum aucti fabellarum collectioribus eandem de Cyri memoria cantilenam cani non miror, siquidem ii farraginem suam yndecunque corradentes, referre malunt quae mira sunt, quam quae certa.

ponant (11), in veterum testimonis satis causae non video. Tradit  
quidem Lucianus (12) eum Thucydidis historiam octies manu sua egre-  
gie descripsisse: quod ediscendi causa factum esse non repugno, cum  
grauitatem dictionis in tanto scriptore imitandam sibi proposuerit. Sed  
quam facile, aut quam difficulter librum tam grandem animo haufiter,  
nec Lucianus addidit (13), nec veterum alii, quantum ego scio, com-  
memorarunt (14). Locum tamen inter Polymnemones nostros Demostheni non inuidiabo. Saltem enim ad tantam eloquentiae gloriam  
ascendere non potuit, sine insigni memoriae bonitate: quippe, ut ait  
nobilis eius inter Latinos aerulus (15): vox, morus, vultus, atque omnis  
actio eloquendi comes est, earumque rerum omnium custos est memoria. Magis  
aperta sunt, quae de Thoma DEMPSTERO Scoto narrat Aubertus Mi-  
raeus (16): Erat hic, ut refert Matthaeus Peregrinus, indefessus in legendis, ita,  
ut quaruor decim diei horas in librorum lectione continuare soleret. Menti acu-  
mine satis valuit, sed memoriae tenacitate longe plurimum, adeo, ut multoties di-  
ceret, ignorare se, quid sit oblinio. Nihil adeo abditum in antiquitatibus mo-  
numentis, cuius non meminisset; ita ut Franciscus Cossius, vir in litteris omni compa-  
ratione maior, Dempsterum magnam bibliothecam loquentem compellare  
consueverit. Nec aliter Erythraeus in Pinacotheca: gloriam Dempstero  
multiple rerum scientia, reconditae exquisitaeque litterae, & incredibilis memo-  
riæ magnitudo confecit. Alii tamen iudicium non adeo magnum in co-  
finisse tradunt (17), quod ego vitium magis ex moribus & factis Dempste-  
ri (18), quam ex eius scriptis cognosci potuisse existimo; si ea excipias,  
in

---

(11) *Drexelinus* in *Aurifod.* P. I, c. 2. & ex eo *Pezoldus* in *Diss. de Memor. memorab.* p.  
23, quem fideliter recitat, ne erroribus quidem exceptis, *Paulini im Philosophi-  
schen Feierabend.* p. 667. (12) in *Dialogo aduersus indoctos & multos libros*  
ementem T. H. Opp. p. m. 380, edit. c. not. var. (13) Scriptis praeterea Lucianus singulari *Dialogo Encomium Demosthenis*, in quo ceteras eius doles omnes  
laudatas inueniuntur, sed nullam factam praestantis memoriae mentionem. (14)  
Quinimo labore magis, quam naturae beneficio cum profecisse, docet *Valerius Max.* Lib. VIII. c. 7. quo iudice alterum Demosthenem mater, alterum industris  
enixa est. (15) *Cicerio Partit. Orator.* I. (16) in *Biblioth. Ecclesiast.* P. II. p. 161.  
(17) Imo plane nullum dicit *Iac. Vfferius* in *Antiquit. Eccles. Britann.* cap. 1, quicun-  
ramen Dempstero iniuriam facere, ex oraculi sui sententia pronunciat *Adolph. Clarmundus* P. I, *Vitarum* p. 230. Enimvero ad *Historiam Scotiae Ecclesiasti-  
cam* ista Vfferii reprehensio praecepit spectat, in qua Dempsterum pro gloria  
gentis multa commentum esse nemo negabit. (18) Ut tacam vxorem venu-  
stissimam libidinis alienac irritamentum ab eo circunductam: iuuenem nobilem  
in

in quibus forte patriae amantem se praebuit magis quam prudentem;  
Equidem ita vulgo rem se habere intelligo, vt quibus memoria est prae-  
stantior, iis iudicandi solertiam, veluti quadam naturae inuidia, mino-  
rem ineffe contingat. Dantur tamen exempla, in quibus utramque felici-  
tatem benigna rerum mater coniunxit. In promtu est *Conradus DIETERICVS* Antistes Vlmensis, & Orator sacer celeberrimus, cui inter ce-  
teras laudes Balthasar Schuppius his verbis parentauit (19) : *Valuit memo-  
ria, quae, quicquid magnum fuit, seponere, Ere atque ysu posulante, promte red-  
dere potuit: in primis inclitus fuit iudicio, quod ceterorum orationum sal est & con-  
dimentum. Hinc nihil memoria eius concepit, nihil ingenium sinxit, nisi quod iu-  
dicium approbavit.* Puerorum alia ratio est, in quibus non per naturae in-  
uidiam, sed per aetatis necessitatem memoria iudicium post se relinquunt,  
& satis diuinum in teneris animis habetur, si rerum vel auditarum vel  
lectarum sint praeter modum tenaces. Talis erat ille *Ioannes Theodorus  
DIETERICVS*, qui puer annum agens vndeicum, VVinkelmanni  
ductu, solis imaginum subsidiis adiutus (20) vniuersam Augustorum se-  
riem, vna cum temporum rationibus, a Iul. Caeſare vsque ad Ferdinandum III memoriter in concione recitauit (21). Quod si tamen ingenia  
practer

---

in Collegio Bellouacensi ferula circa nates excarnificatum; aliaque, in quibus  
a recto iudicio prudentiaeque legibus recessit: saltum de eius rixandi libidine au-  
diamus Erythraeum: *Nescio quo pacto bac nostra aetate, Musae, mansuetissimae  
illae forores, summa animi voluntate complexae sunt Thomam Dempferum,  
Scotum, hominem factum ad bella & contentiones, quippe qui leniter re vel verbo  
lacefuit, continuo ad arma rixaque decurreret; nullum ferme diem a con-  
certationibus vacuum praeterire sinebat; quin videlicet cum aliquo, vel ferro  
decerneret, vel, si ferrum minus suppetret, pugnare rem ageret; quo siebat, ut  
esset paedagogus omnibus formidabilis.* Pinacoth. I, p. 24. (19) In Panegyrico  
ap. *VVitt. Memor, Theolog. Decad. IIII. p. 460.* (20) Ars memonica proprie-  
fic dicta difficulter est, quam vt ad pueros adhiberi possit. Vfum sere habet in  
extemporalibus. In perpetuis enim, nisi continua accedat repetitio, ideat illas  
ex animo elabuntur. Quomodo ars illa differat ab imaginibus eiusmodi, per  
quas intellectualia tantummodo ad sensus reuocantur, docet *Io. Buno* in Praefat.  
ad Ideam histor. vniuers. Germanice editam: vbi assert exemplum nostro plane  
simile *Io. Henrici SVRSEN*, qui olim in Gymnasio Luneburgensi, non tantum  
omnes Iuris titulos, cum coram numeris, recto & conuerso ordine ex memoria  
reddidit, sed & de singulis Titularum numeris extra ordinem interrogatus, Ru-  
bricam quamlibet, cum maxima audiencem admiratione recitauit. (21) vid.  
*Morkof.* L. II. Polyhist. c. VI, p. 373, cuius virtus summi iudicium de imaginibus ad  
res historicas adhibendis satis est benignum,

praet̄ modum praecocia pueris contigerint, iudicium quoque non minus quam memoria in iis excellere deprehenditur. Ita *Ioannes VAN DERDOES* siue *Ianus Douſaiunior*, memoriae quidem beneficio in ipsis fere ephebis omnem humaniorem doctrinam felicissime hauiſit, sed sine iudicii facultate fieri ab eodem puero non potuit, vt proxime scriberet in Poetas quoscunque, & ab omnibus, etiam doctissimis viris, Philologus, Poeta, Philosophus, Mathematicus excellentissimus, & dignus Bibliothecae Lugdunensis praefectus haberetur. Testes rei tam inolentis sunt scriptores fide digni (22); quorū & dolor ille spectat, quem ob iuuenē optimum, aetatis anno XXVI extinetum prodidit Scaliger (23), vt & Casaubonus ad Scaligerum haec rescribens (24): *Ianum Douſam iuniorem abiisse ex tuis literis primum didici; atque utinam quiduis aliud nuntiasse mibi potius, quam hoc.* *O casum grauen!* *o funus vere acerbum!* *nempe ita est,* mi Scaliger, quod tu olim *μαυτεύμενος* scriptisti, vergant doctae artes ad interitum, estque omnis iam in Europa eruditio verna & recta conlamata. — — Eleui ergo & fleo adhuc tantæ ſpei iuuenem, cui equidem ex vniuersa iuuentute literis operata parem noui neminem. Tantum filium habuit pater *Ianus DOVSA*, primus ille Academiae Lugd. Batavae Curator, ipse ingenio memoriaque maximus, & nequaquam nobis inter exempla diuiniora praetereundus: quod enim in filio praecox, idem in patre magnum fuit. *Multiplex erat invito lectio, incredibilis pene memoria.* Graecarum ac Latinarum literarum, hifloriae veteris ac nouae nihil erat, quod ipsum fugeret; nihil, de quo rogatus non extempore responderet. *Vnus ille, quod de Longino ait Eunapius,* erat *βιγλιοθηκη τις ἐμφυχος, και περιπατην μυστιον.* *Vnus ille Bataviac Varro,* &

Acade-

(22) *Io. Meursius* in Athen. Batav. p. 152. *Valer. Andreas* in Biblioth. Belg. p. 438. *Er. Suerentius* in Athen. Belg. p. 378. *Pau. Colomesius* Opus, p. 231. *Adr. Bailler des Enfans* p. 159 sqq. *Ant. Teisier* dans ses Nouvelles Additions aux Eloges des hommes fauans de Mr. de Thou p. 401 sq. vbi *Scoppius* in Douſam iuniorem calumniae reprimuntur. Plura fortassis de praecoci hoc iuuenē dabit pro diligencia sua *David Schultetus* Hamburgensis V. Cl. in suo, quod molitur, *Theatro eruditarum iuuenturis* vernacula sermone propediem aperiendo, in quo non omnes tantum personas a Baillet olim collectas, sed & longe plures per supplementum aſcriptas in scenam prodire videbimus. (23) *Je pleurai ay huit iours durant, comme une vieille, lors qu'il fut mort,* inquit in Scaligeran, p. 129. (24) Epift, CCCXIX. p. 499, edit. Hag. Com. 1638. 4.

*Academiae communis oraculum* (25). Si fides est *Scaligeriana*, nihil sicut Poetarum, quod ille non ad vnguem tenuisset. *Ianus pater avoit une grande memoire, il se avoit tous les Poetes, & en jettoit touours quelques vers à la tra-verse, de bonne grace.* Il recitoit les Elegies de Properce toutes entieres; il recitoit Catulle, Tibulle, Juvenal, Horace; il se avoit tous les vers de mon Pere, de Sammarzare, de Jo. Secundus, de Pontanus, & d'autres. Sane hunc dici oportuit verum Poetarum helluonem (26)!

Ne autem hanc gloriam solis forte Europaeorum ingenii propriam esse, & in iis, qui a cultu atque humanitate nostra longissime absunt, nihil a natura diuinum produci putemus, ex Asia se nobis offert ECHEBANDVS, Magnus Indiae Mogul, qui sub initium superioris seculi decessisse legitur. Is aliquot elephantorum millia, equos longe plures, & incredibilem ceruorum, aquilarum ac aliarum avium numerum aluit. Quibus omnibus quum certa imposuisset nomina, tam valuit memoria, ut, quoties vellet, vnumquodque animal sigillatim compellare posset, nec vniquam errore lapsus, nomina perturbaret (27). Quid? si huic Echebando tot fuisse corda dixero, quot aluit animalium genera: quandoquidem Q. ENNIVS tria corda habere sese dicebat, quod memoriae beneficio tres linguas, Graecam nimirum, Oscam & Latinam percalleret (28). Ille vero plane excors fuit, qui primus de ESDRA fabulam confinxit, sacrum hunc scriptorem omnes codicis diuini libros, a Chaldaeis incendio crematos, vna cum aliis Hebraeorum monumentis, ex sola memoria restituisse (29). Quamuis enim praecilla Esdræ in codicem

B

diui-

(25) Verba sunt *Mewſil*, c. p. 88, quae eadem repetunt *Melch. Adami in Viris ICTOR. German. p. 180*, edit. recent. in sol. & alienorum elogiorum compilator *Sveverius* l. c. pag. 377, conf. *Thuan. ad A. 1604. Blount in Cenf. Aut. celebr. p. 580 sq.*

(26) Alium habuit filium Janus pater, Itinere *Cpolitanus* inclutum, cui Georgio nomen. De hujus ingluvie Scaliger eodem loco:

*Georgius Dousi mangieoit autant que donec de nous autres. J'ay pris plaisir de lui voir manger un coq-d'Inde, & encore quelque chose.* Sed dubites profecto,

Lector, quem magis infatiablem mireris, ventremne filii, an animum patris, sive virum pater fuerit librorum, an filius ciborum voracior. (27) Ex

quadam Descriptione Indiae Orientalis refert *Pezoldus* p. 23, conf. *Jac. Dan. Ernst P. II. des Hist. Bilder-Haus* p. 102. (28) vide A. *Gellinum* Lib. XVII.

*Noct. Attic. cap. 17. & Hier. Columnæ* vitam Enni, quae recentissimæ huius Poetæ editioni, a *Franc. Heselio* in Batauis hoc ipso anno curatae, præfigitur pag.

5. (29) Commento huic, a Iudaeis scriptoribus profecto, occasionem dedidit

diuinum merita, & Numen, quod in eo fuit, agnoscam ; ea tamen aliunde potius aestimanda cenleo, quam ex miraculo tam parum necessario : cum nulla Chaldaeorum contentione fieri potuerit, vt omnia voluminum sacrorum exempla, non per Iudeam tantum, sed & per alias terras dispersa, omnino delerentur.

Q. FABIVS Maximus, a Cicerone in Quæstionib[us] Academicis laudatus, omnia non solum domestica, sed etiam externa bella memoria tenebat : vt non immerito bello Punico secundo omnia eius consilia dictaque oraculiloco haberentur. Quoniam vero per naturam facilior est factorum, quam verborum recordatio, non tantum admirationis hoc Fabii exemplum habere existimo, quantum habet illud FERRANDI Cordubensis, de quo Abr. Bzouius (30) rem portenti similem consignauit. Non piget, integrum Bzouii locum afferre, cum, quod historia plenius legi mereatur, tum, quod ea, quae humanam excedunt fidem, alienis malim, quam meis verbis enarrare. Ita vero ille : *Venit & alter ex Hispanis in Galliam, Ferrandus Cordubensis, miles auctus, Artium, Medicinæ, & Theologiae Doctor, qui vniuersam Parisiorum Scholam sua mirabili scientia veritatem insipuorem. Erat enim in omni facultate scripturarum doctissimus, vita & conuersa-*

---

putatur liber quartus Esdrae, omnium consenu Apocryphus, in cuius cap. XIII. mira narrantur de poculo diuinitus porræto, quod cum exhaustus Esdras, adeo intumuit sapientia, ut dies noctesque continuas, per mirificum quandam θεοτοκού librariis quinque tam diu memoriter dictaret, donec volumina quatuor & ducenta implerentur. Ex Patribus non pauci sunt, qui fabulae de libris sacris, ab Esdra post iacturam refuturi, fidem adhibuisse videntur : plerorumque tamen verba in melius interpretatur *Dorfchens Theolog.* Zachar. P. II. p. m. 81 sqq. *Pontificii.* Patrum auctoritate inducti, idem commentum defendunt, non tamen omnes : nam recte sententiam fert *Huetius* in *Demonstr. Euangel. Prop. III. cap. 14. § 19.* p. m. 311. *Richardum Simonium* feruide rem agere, dicit *Pfeifferus* Crit. Sacr. cap. II. Secl. II. qu. I. p. m. 28, quod mihi tamen, Historiam eius Critical. V. T. praefertim pag. 4. edit. Gall. euoluenti non liquet. Ceterum legantur de hoc argumento *Chamier.* T. I. Panstrat. Cathol. p. 426. *Hottingerus* L. I. Thefaur. Philol. c. 2, qu. I. p. 112. sqq. *Heideggerus* in *Enchirid. Bibl.* p. m. 189. & ex nostris *Wasmuth,* in *Vindictus* p. 47. sqq. *Korstholtus* de Var. Script. S. edit. cap. I. *Calotius* in *Critico S. Biblico.* Diatr. V. §. 4. p. 150. *Io. Fried. Mayenus* in *Dissert.* select. Kil. & Hamh. p. 558. (30) ex *Io. Trithemis Chronico Monasterii S. Martini Spanheimensis*, in *Annalibus Ecclesiast.* Tom. XVIII. ad A. 1501. p. 594. & post *Bzouium Hottingeri* in *Histor. Eccl. Seculi XVI.* P. V. p. 115. sqq.

versatione honestissimus, non sicut ille (31), de quo diximus, arrogans & superbus,  
sed humilis multum, & reverentia plenus. Memoriter tenuit Bibliam totam, Ni-  
colaum de Lyra, scripta S. Thomae Aquinatis, Alexandri de Hales, Ioannis Scotti,  
S. Bonaventurae, & aliorum in Theologia complurium : Decretum quoque, &  
omnes veriusque Iuris libros ; & in Medicinis Auenenam, Galenum, Hippocra-  
tem, & Aristotelem, atque Albertum, omnesque Philosophiae & Metaphysices li-  
bros, & Commentaria ad vnguentum (vt aiebant) memoria retinebat. In allegando  
fuit promptissimus, in disputando acutus, & a nullo vnguam superatus. Denique  
linguas Hebraicam, Graciam, Latinam, Arabicam & Chaldaeam perfecte legebat,  
scribebat, ac intelligebat. Romam a Rege Castellae missus Orator, in omnibus Ita-  
liae Galliaeque Gymnasiis publicis disputans, conuicit omnes, ipse a nemine vel in  
minimo conuictus. Varia de ipso inter Doctores Parisenses erat opinio : aliis  
Magum illum, ac daemone plenum cauillantibus, aliis sentientibus contrarium.  
Non desuerunt, qui Antichristum putarent, propter incredibilem scientiam scriptu-  
rarum, qua cunctos mortales videbatur excellere. Carolo Duci Burgundiorum,  
astronomico avaticinacione longe ante praedixit interitum. Commentaria in Alma-  
gestum Proloemae edidit, & in Apocalypsin S. Ioannis Evangelistae, aliaque opuscu-  
la conscripsit. Haec Bzouius ; quae tam immodica sunt, vt nelciam,  
an facile sine commenti suspicione legantur. Afferam igitur modera-  
tiora de FRANCISCO I Gallorum Rege, quem tradit Paulus Louius tam  
diuina memoria fuisse, vt in negotiis etiam amplissimis, promte rerum  
ac subsidiorum omnium recordari potuerit, & deligere, quod sibi expe-  
dieret. Cum enim aliquando ei in venatione occupato nuncium allatum  
fuisse, de impressione ab Alfonso Vastio in subalpinas regiones  
facta, confessim consilium cepit, & ne quidem ex equo descendens,  
intra semihorae spatium, non expeditionem tantum decreuit, sed &  
kopias, duces, commeatus, itinera incredibili celeritate designauit.  
**Rex namque**, vt ait Louius (32), qui omnes prope suae aeratistenaci arque ex-  
pedito immensa memoria captu, perennique vigore superauit, quid & quantum  
peculiaris commeatus unaquaque prouincia suppeditare posset, quaeam itinera,  
quae flumina ad conuectiones faciliora vicinioraque forent, & e quibusnam statuis

B 2

aut

(31) Italus, quem eodem loco narrauerat Bzouius Lugdanan circa idem tempus  
delatum fuisse, hominem πάντοφον, gloriosum, omnium prae se contemtorem  
& voluntariae paupertatis ex veterum philosophorum more affectatorem, (32)  
Lib. XXXVII. Historiar. sui temp. p. m. 376. pro quo Pezoldus falso allegauit  
Elogia viror, bello illustr, & bona fide errorem retinuit Pankini l. c. p. 668.

aut hybernis equitum alae accersendo celerrime conuenire possent, mira ardentiis ingenii figurazione atque velocitate represestabat, sic ut eum rationes itinerum & nauigationum, praecepsaque rerum omnium copias, vel remotissimarum etiam ciuitatum, tanquam ex indice, memoria tenere, vsu rerum periti Proceres reveruntur. Ab eo namque subitario belli decreto statim perspectum est, quantum Rex ipse, cum ingenii magnitudine, tum quodam memoriae inenarrabili robore, propter singularem rerum suarum notitiam valeret, vel mollissimis interdum volupatibus occupatus. Ad Franciscum accedit FRIDERICVS I Imperator Augustus, cui a barba rufa cognomentum inditum fuit. Siquidem ille semel visa vel auditam tam firmiter animo retinere potuit, vt quoscunque, etiam infimae fortis homines, vel vidisset aliquando, vel compellasset, eorum vultus atque sermonis, licet annis multis interiectis, praefentissime recordaretur (33).

Sed a Principibus, in quibus plerumque maior est, quam in priuatis, virtutum admiratio, pergo ad priuatos nonnullos. Ioannes GATTVS, patria Siculus, qui circa A. 1440. doctrina claruit, quidquid perlegebas semel atque iterum, memoriter deinceps id omne reddebat (34). In linguis vestitioribus hoc fieri posse credo, praescertim si magna animi contentio & diligentia accedat, qualis in Gatto fuit, qui litterarum Graecarum causa iter in Graeciam discendi audius suscepit. At ea, quae sermone non amplius vsu vulgato, & per se difficili consignata sunt, longe etiam difficilius memoriae imprimuntur. Hinc miror felicitatem GEBHARDI (35) pii admodum ac eruditii, in agro Brunswicensi, dum viueret, Sacerdotis, qui omnia codicis diuinioris capita Hebraice, sine villo errore aut haesitatione reddere potuit. GENETHLIVS Genethlii filius, Palaestinus Sophista, Minutiani & Agapeti discipulus, teste Suida, tam prompto fuit animo, vt totam aliquam declamationem, semel auditam, exemplo memoriter recitaret; maior eo nomine, quam GREGORIVS III Pontifex, quem omnes ordine Psalmos memoria complexum fuisse, tanquam

(33) Cyprianus, & post eum Drexelius, l. c. (34) Io. Wolfus Lct. Memorab. T. I. p. 823. (35) Is frater fuit Brandani Henrici Gebhardi in Academia Gryphiswaldi Doctoris publici, notus ex libello de propinquitate extremi diei ad Brandanum Daetrium perscripto. Quae accepta refero Pl. Reu. Ioanni Fates sacri ordinis Stadenis Patri seniori, vastae lectionis ac memoriae viro, a quo Gebhardum hunc memini aliquando, in Oratione de Memoria laudatum fuisse.

quam rarum quid, tradit Spondanus (36). Sed quibus verbis satis extollam aeternum illud Bataiae & seculi sui decus *Hugonem GROTIVM*, virum, vt vocat Vossius, non diuinarum minus, quam humanarum rerum scientissimum ? adeo enim eius animi dotes vltra communem hominum conditionem ascenderunt, vt sine veritatis iactura, vir quidam doctus (37) ad Grotium transtulerit illa verba, quibus Alcibiadem descripsit Nepos : *In hoc natura, quid efficere posse, videtur experta.* Si enim ipse fingere velleret, neque plura bona remisisti, neque maiora posset consequi, quam vel fortuna, vel natura tribuerat. Ne quid enim dicam de aureo libello, quem pro veritate religionis Christianae exul & a subsidiis consuetis destitutus, ex sola fere memoria deponit : ne quid etiam de aliis eius scriptis commemorarem, tam vasta ac multiplici eruditione refertis, vt incredibile videatur, tantam rerum copiam ac varietatem in vnius hominis animo conditi potuisse : saltem aliquid afferam, quod a patre suo acceptum narrat Anton. Borremansius (38) : *Accidit nimis rurum, vt Grotius ex Autoritate Illustrium ac Praepotentium Hollandiae Ordinum aliquot militem cobortes lustraret, magno sane memoriæ summae exemplo, quod statim non modo omnes milites, nunquam sibi ante oculos, de facie nosceret ; sed singulorum nomina absque hæfitatione teneret.* Cum Grotio quidem non comparandus, tamen inter Polymnemones non plane praeterundus est *Christianus GRYPHIVS* decus illud Scholæ Vratislauiensis, & inter Poetas Germanos huius temporis fidus haud obscurum. Ei enim, cum anno superiore prid. Non Mart. evita emigrasset, inter cetera encomia his verbis a collega (39) parentatum fuit : *Gott hatte ihm eine feine Seele / und in derselben einen herrlichen Verstand / vor treffliches Judicium, und wundersames Gedächtniß gegeben.* Man könnte ihn dannenherz gewiß ein herrliches Depositorum, vorinnen viel schöne Beylegen verwahret / und gleichsam eine lebendige und wandelnde Bibliothecam, darinnen ein grosser Vorraht der raresten Autorum enthalten / tituliren und benennen. Im Verstehen war er hurtig / im Urtheilen schaffsinnig / im Behalten unvergleichlich. Eadem affirmat Christ. Stieffius,

(36) ad A. 731 (37) *Thom. Crenins P. I., Animadu. Philol. & Hist. p. 19, ex Corn. Nepotis Alcibiade c. 1. 2.* (38) *Var. Leet. cap. III. p. 11, conf. Cren. I. c. vbi tamen Grotii aliquis memoriae lapsus allegatur, ex quo intelligimus, hominem suisse.* (39) *M. Gotfriedo Rüpfender / Conrectore, in dem Abriss eines freuen Schul-Lehvers / bey Beerdigung Hn. Chr. Gryphii, quis 2 Timoth. I. 12. vorgestellt / pag. 10, edit. Breppl. 1706, fol.*

Stieffius, Lighicensis Silesius in Epistola de obitu viri incomparabilis Christ. Gryphii ad Io. Godofredum Baronem Vratislauensem (40) vbi non tantum insignem decem linguarum peritiam, & venieres earum in Poetin Germanicam a Gryphio trans fusas laudat ; sed & causam addit ; quippe memoria plane suspensa, limitis moque iudicio pollebat, ve quicquid legisset aliquando aut didicisset, non tantum fideliter retineret, promissime, que, si occasio postulauerit, redderet, sed omnia quoque cura singulari perficeret. Denique agmen hoc nostrum claudat Franciscus GYNETVS (41) de quo Antonius Periander in vita eius refert, quod memoria in primis valuerit, quam fidam, omniumque, quae semel tradita erant, tenacissimam ad extremum usque conservauit.

Praeter hos, quos emisi, Polymnetones alios supereris, nec pauciores, ne cluce minus dignos, ex ipso, quem feruauit, nominum ordine intelligetur. Sed quia me ipsum, non sine causa, limitibus nunc circumscripsi, iubeo illos in scrinia mea reuerti, & aliam quamprimum opportunitatem praestolari. Ad Vos autem, quos scunque haec charta compellat, Patroni ac Fautores, de Oratore meo, cuius gratia haec scribo, pauca iam sunt dicenda. Is est


## IOANNES GEORGIVS PAVLI

Stadensis, iuuenis egregius, & ad magna contendens. Cui licet Patris optimi & de negotiis publicis praeclare meriti iactura haud ita pridem inopinata & perquam grauis accidit, animus tamen erectus, & honesta laudis ambitio permanxit. Talem enim fese mihi semper, vna cum fratre suo, probauit, vt merito ad eos transferam luculentum istud testimonium, quo C. Plinius Caecilius (42) summae indolis iuuenes duos, Fuscum Salinatorem & Numidium Quadratum ornavit : Mira utrique probitas,

---

(40) Quae exstat inter aliorum epicedia in Grypium. Ex eadem hac Stieffii Epistola dico, Grypium nostrum reliquise insignem apparatus ad libros aliquando, si vixisset, edendos, de Biographis, de Poetis purpuratis, de Litteratis infelicibus, & alia. Quae vt publico commodō non inuidet gener eius & haeres ex aſc. Io. Theod. Lenbſcherus V. Cl. omnes mecum optant, qui historia eruditorum delectantur. (41) celebris ille Terentii interpres, qui nouo (vt ait Borremansius l. c. p. 14.) & inaudito ante consilio, linguam Latinam & Graeca non modo deriuabat; sed & Graecae linguae primitiva omnia, vnde cetera deducerentur, vocabula monosyllaba esse contendebat, (42) Lib. VI. Epist. XI,

probitas, constantia salua, decorus habitus, os planum, vox virilis, tenax memo-  
ria, magnum ingenium, iudicium aequalis; quae singula mihi voluptati fuerunt:  
atque inter haec illud, quod & ipsi me ut rectorem, ut magistrum intuebantur: &  
i, qui audiebant me aemulari, meis instare vestigiis videbantur. Igitur si quid  
apud Vos, Patroni optimi, valet eiusmodi commendatio, animum ora-  
tori nostro gratiosum ac benevolum declarate. Quod facietis, si ad  
quintum Kalendarum Februarii, stato tempore, in publico nostro Museo  
frequentes adesse, eumque de iis, quae in Carolo XII Suecorum Rege diuiniora  
sum, oratione Latina dicentem audire non gravemini. Neque enim  
mea tantum invitatio, sed & ipsa diei Carolinae sanctitas, & vester erga  
Regem affectus, hanc a Vobis gratiam videbitur impetrasse. Scripti  
Stadae X Kal, Febr, A, CIC ID CC VII.






Nr 113.  
S. 8<sup>a</sup>



m. 1.

toribus, innotescit  
le amabit



5a

xxix

**POLYMNEMONES**  
SIVE  
**MEMORIAE**  
**DIVINIORIS**

EXEMPLORVM PLVS CENTVM  
EX VARIA  
PRAESERTIM ERVDITORVM HISTORIA  
DEPROMTORVM  
**CONTINVATIO**  
QVA

ANNIVERSARIVM GYMNASHI STADENSIS SACRVM  
IN HONOREM REGIS

ORATIONE PVBLICA  
DE IIS QVAE INCAROLO XII  
DIVINIORA SVNT

A D V KAL FEBR HL QC CELEBRANDVM  
OFFICIOSISSIME INDICIT

**MICHAEL RICHEY**  
RECTOR

---

STADAEC OPERIS HOLVVEINIANIS  
A CC ID CC VII